



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Syntagmata Theologica Sive Principalis Theologiæ Tractatus

Lourenço, Agostinho

Leodii, 1694

Sectio Prima. Vtrùm inter Personas Divinas admittendus sit aliquis ordo
prioritatis, & posterioritatis ?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-80131](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-80131)

Spiritus Sanctus impositum est ad significandam relationem termini ad principium spiritivum: at verò nomen *Spiritus* ex propria notione potest admittere habitudinem principii ad terminum, ut patet ex illo Joan. 3. *Spiritus ubi vult, spirat.*

127. Colliges secundò, nomina, quæ significant perfectiones divinas in abstracto, non posse admittere pronomina *Meum*, & *Nostrium*; quia ex modo significandi dicunt habitudinem causæ formalis, sicque verè non dicitur: *Deitas*, *Æternitas*, *Immensitas nostra*. Undè si aliquando à Doctoribus usurpantur huiusmodi locutiones, ut de Christo Domino dicitur 1. Cor. 1. *Factus est nobis Sapientia, iustitia, Sanctificatio, Redemptio*: intelligendæ sunt exemplariter, & effectivè, non autem formaliter.

128. Difficultas 3. Quid reale, ac proprium significant nomina metaphoricè Spiritus Sancti? Præter nomina, quæ propriè Spiritui Sancto tribuuntur, de quibus hæcenus, aliqua sunt nomina ex Sacris litteris deprompta, quæ etiam Spiritui Sancto accommodantur metaphoricè, ejusmodi sunt, *Digitus Dei*, *Mens*, *Facies*, *Complementum*, *Signaculum*, *sigillum*, *odor*, *virtus*, *qualitas*, *Aqua*, *Ignis*, & similia: quæstio igitur est, an huiusmodi nomina intelligenda sint metaphoricè de Spiritu Sancto: & quid illa significant? pro quibus:

129. Dico 1. Hoc nomen: *Digitus Dei*: metaphoricè significat Spiritum Sanctum. Patet, quia quod Christus Dominus dicit Mat. 12. 28. *Si ego in Spiritu Dei ejicio demones*: idè omninò sic refertur Luc. 11. 20. *Si in digito Dei ejicio demonia*. Undè colligunt Sancti Patres, ubicumque Scriptura nominat *digitum Dei*, Spiritum Sanctum intelligi, ut Exod. 8. *Digitus Dei est hic*: Et Deuter. 9. *Tabulas lapideas scriptas digito Dei*. Et ex illo probat Divinitatem Spiritus Sancti D. Amb. lib. 7. in Luc. cap. 11. Et illius consubstantialitatem, & processione à Patre per Filium significari per metaphoram *digiti* notavit D. Cyril. lib. 13. *Theaur. cap. 2*. Significari etiam illius virtutem operatoriam observavit idem D. Cyril. & D. Amb. locis cit. Deindè significari pluralitatem gratiarum sub unitate Spiritus docuit D. August. lib. 2. *quest. 9. 17*. Et in Psal. 143. vers. 1. qui videri possunt apud P. Ruiz d. 73. sect. 1.

200. Dico 2. Hæc nomina *Mens*, *Facies*, *Complementum*, & *Signaculum*, etiam metaphoricè dicuntur de Spiritu Sancto. Patet, quia 1. Cor. 2. dicit D. Paul. *Nos autem sensum Christi habemus*: ubi *sensus* idem est, quod *Mens*, & Apostolum hoc loco intelligere Spiritum Sanctum exposuit D. Cyril. lib. 13. *Theaur. cap. 2. & 3.* & D. Greg. Nyssen. *Epist. contra Apollinar.* Nomen *Facies*, licet magis congruat Filio, ut supra diximus, etiam per metaphoram dicitur de Spiritu Sancto ex illo Psal. 138. *Quò ibo à spiritu tuo, & quò à facie tua fugiam*. Ubi D. Cyril. lib. 13. *Theaur. cap. 2*. Spiritum Sanctum, inquit, faciem Patris appellat. Similiter esse *Complementum* Trinitatis scribit idem D. Cyril. lib. 14. *Theaur. cap. 3.* & D. Basil. lib. de Spirit. Sanct. cap. 18. Et *vinculum* Trinitatis, & *signaculum* confessionis appellat D. Epiphani. *heres. 62*.

201. Dico 3. Spiritus Sanctus dicitur etiam metaphoricè *sigillum*, *unguentum*, & *odor*. Patet, quia *sigillum* vocatur à Sanctis Patribus, quatenus gratiæ caractere sigillat electos, ut docet D. Greg. Nyssen. lib. de Trinit. ad Eustachium, & D. Cyril. lib. 13. *Theaur. cap. 3.* Et D. Athan. *Epist. ad Serapion*, ubi adducit illud ad Ephes. 1. *In quo*

credentes, signati estis in diem redemptionis. Et adjungit: *Ipse Spiritus sigillum, & unguentum est, in quo omnia ungitur, & signat Verbum*. Ubi etiam per nomen *unguentum* significat metaphoricè Spiritum Sanctum. Imò & *Epist. ad Serapion*. de eodem Spiritu Sancto sub nomine *unctionis*, & *odoris*, sic ait: *Hæc unctio*, inquit, *habitus est Filii, ut qui habet Spiritum dicat, Christi bonus odor sumus*. Idem habet *Dialog. 1. de Trinit.* & habet etiam D. Cyril. lib. 11. in Joan. cap. 1. & 2.

Dico 4. Spiritus Sanctus significatur etiam metaphoricè his nominibus: *Virtus*, *Qualitas*, *Aqua*, & *Ignis*. Patet, quia de Spiritu Sancto sic dicitur Luc. 1. *Virtus Altissimi obumbrabit tibi*. Et Luc. 24. *Quoad usque induamini virtute ex alto*. Et Luc. 4. *Regressus est Jesus virtute Spiritus in Galileam*. Et Actor. 10. *Quomodo unxit eum Deus Spiritu Sancto, & virtute*. Et Rom. 15. *Ut abundetis in spe, & virtute Spiritus Sancti*; quibus similia sunt 1. Cor. 2. 4. ad Ephes. 3. 16. & 1. Thess. 1. 5. & in omnibus sub nomine *virtus* intelligitur Spiritus sanctus. Idem etiam habet D. Amb. lib. 2. de Spiritu Sancto cap. 1. & 2. Similiter sub nomine *qualitas* Spiritum sanctum significavit D. Cyril. lib. 13. *Theaur. cap. 3.* & lib. 6. *Dialog. de Trinit.* ibi: *Spiritus sanctus*, ait, *quasi qualitas Sapientis Divinitatis*.

Sub eadem metaphora vocatur Spiritus sanctus *Aqua*. Primò, quia sicut explet, id est appetitum boni Joan. 7. *Si quis sitit veniat ad me, & bibat*: Et infra: *Hoc autem dixit de Spiritu, quem accepturi erant credentes in eum*. Secundò, quia lavat. Ezech. 36. *Effundam super vos aquam mundam, & mundabimini*. Tertiò, quia extinguit ardorem concupiscentiæ. Isai. 55. *Omnes sitientes venite ad aquas*. Quartò, quia largè, & liberaliter diffunditur. Joan. 4. *Fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam*. Dicitur etiam metaphoricè *Ignis*. Primò, quia inflammata caritatem. Secundò, quia purificat. Tertiò, quia transformat. De hoc Igne loquitur Christus Dominus Luc. 12. *Ignem veni mittere in terram*. Et Actor. 2. *Apparuerunt illis dispersæ lingue, tanquam ignis*. Et Matt. 3. *Ipse vos baptizabit in Spiritu Sancto, & igni*.

DISPUTATIO IX. De Comparatione Personarum inter se.

SECTIO I.

Utrum inter Personas Divinas admittendus sit aliquis ordo prioritatis, & posterioritatis?



ADVERTENDUM hic est, prioritatem esse, aut numerationis, aut causalitatis, aut originis, aut durationis, aut excellentiæ. Non est hic sermo de prioritare numerationis; hæc enim cum sit extrinseca, sive à Patre, sive ab Spiritu Sancto incipias numerationem, certum est

est dari numerum ternarium Personarum. Neque etiam est sermo de prioritate *causalitatis*; siquidem ex sæpe dictis certum est, Personam producentem non esse causam Personæ productæ, si nomen *Causa* in proprio sensu accipitur; licet Græci nomine *Principium*, prout supra diximus. Patet, quia causa dat esse simpliciter diversum effectui; & hic dicitur indifferentiam ad esse; hoc autem non reperitur in productione divina. Unde superest, ut de prioritate originis, durationis, & excellentiæ agamus. Pro quo:

2. **Difficultas 1.** Utrum inter Personas Divinas detur prioritas, & posterioritas originis? Multiplex est in hac re sententia: Prima negat inter Personas Divinas producentes, & productas omnem prioritatem, & posterioritatem, tam realem, quam rationis, solumque inter illas admittit realem ordinem originis absque ulla prioritate, & posterioritate reali, aut rationis, licet hanc rationis non neget in aliis perfectionibus, & Attributis Divinis. Ita D. Thom. 1. p. q. 33. art. 1. ad 3. & q. 42. art. 3. Alens. 1. q. 46. memb. 2. D. Bonav. in 1. dist. 20. q. ult. Richard. q. 3. Durand. dist. 9. q. 2. & dist. 12. q. 1. & dist. 20. quest. 2. Capreol. dist. 29. art. 1. conclus. 4. P. Molin. 1. p. q. 42. art. 3. & alii.

3. **Secunda sententia** negat prioritatem, & posterioritatem realem inter Personas Divinas, illam tamen admittit rationis, etiam inter reliquas perfectiones. Ita Hervæus in 1. dist. 12. q. 1. Argent. in 1. dist. 9. q. 1. art. 4. Torres. 1. p. q. 42. art. 3. & alii. Tertia sententia admittit quidem inter Personas Divinas producentes, & productas prioritatem, & posterioritatem realem originis; sed inter perfectiones absolutas admittit etiam prioritatem, & posterioritatem realem, quam appellat naturæ. Ita Scot. in 1. dist. 5. q. 2. §. Secunda difficultas, & dist. 7. §. contra istud, & in 2. dist. 1. q. 1. §. Quantum ad hoc, ubi fusi.

4. **Quarta sententia** admittit solam prioritatem, & posterioritatem realem originis inter Personas producentes, & productas; non tamen naturæ, neque inter ipsas Personas, neque inter reliquas perfectiones absolutas, inter quas solum admittit prioritatem, & posterioritatem virtuales naturalis exigentiæ, & conceptibilitatis quoad nos. Ita Henricus 2. p. sum. art. 54. q. 5. Aureol. in 1. dist. 1. art. 5. ad 4. Ocham dist. 9. q. 3. conclus. 6. Arimin. q. unica art. 2. conclus. 2. Gabr. q. 3. art. 2. proposit. 3. Marfil. q. 13. art. 2. conclus. 2. Palat. d. 1. Zume. 1. p. q. 42. art. 3. d. unica, proposit. 2. P. Soar. lib. 4. cap. 15. de Trinit. num. 7. P. Vasq. 1. p. d. 167. & 168. cap. 2. P. Ruiz d. 105. sect. 5. Caiet. 1. p. q. 42. a. 3. Bannez ibid. P. Tanner. d. 4. q. 1. dub. 8. n. 8. P. Arrub. d. 146. cap. 1. n. 2. & 3. P. Zuniga d. 17. dub. 4. conclus. 2. P. Preposit. 1. p. q. 42. P. Granad. 1. p. tr. 12. d. 4. n. 3. & alii, quos citat & sequitur P. Amicus d. 22. sect. 1. Harum omnium sententiarum fundamenta infra ponemus, & dissolvemus. Igitur.

5. **Dico 1.** Inter Personas Divinas necessitudo admittenda est ordo realis. In hoc conveniunt omnes Scholastici. Probatur primò, quia ordo est habitudo plurium ad unum primum, sive ad unum principium, aded ut non intelligatur pluralitas sine confusione, absque huiusmodi habitudine; sed in Deo dantur plures Personæ à parte rei sine ulla confusione, imò cum habitudine reali ad unum principium, quatenus una est realiter ab alia; ergo datur realis ordo inter Personas Divinas. Unde si aliqui Sancti Patres negant huiusmodi ordinem inter Personas Divinas, ut videre est apud P. Ruiz,

cit. sect. 2. intelligendi sunt de ordine dignitatis; perfectionis, aut durationis, de quo infra.

Probatur secundò, quia ordo realis est, quem natura ipsa prædefinit, & sola ratio non potest ad libitum invertere; sed inter Divinas Personas est similis ordo; nam quod Pater sit principium Filii, & uterque Spiritus sancti, non tamen è contra, non est ab aliqua extrinseca ratione præscriptum, aut invertibile, sed ab ipsa intrinseca rei naturæ prædefinitum, & immutabile; neque enim ulla ratio potest ad libitum mutare, quod ipsa natura Patris, Filii, & Spiritus sancti essentialiter exigat, nempe quod Pater sit à quo Filius, & uterque à quo Spiritus sanctus, & non è contra; ergo &c.

Dico 2. Inter Divinas Personas producentes, & productas datur prioritas, & posterioritas realis originis, quæ dici solet prioritas à quo. Ita Doctores cit. n. 4. Probatur primò autoritate Sanctorum Patrum D. Aug. de triplici habitu cap. 6. Tunc, ait, iustis manifestum erit, quomodo Pater non præcesserit Filium tempore, sed origine, nec Spiritum sanctum. Idem habet lib. quasi. veter. Testam. q. 122. Et D. Basil lib. 1. contr. Eunom. ad finem: Nos autem, ait, secundum habitum causarum ad ea, quæ ex ipsis sunt, Patrem Filio præponi dicimus. Et Origen. hom. 2. in Joan. 1. Præcedit, inquit, Pater Verbum, non naturam, sed causam. Et D. Ephrem. tom. 3. Quod post Filium, inquit, Spiritum sanctum dicimus, id non temporis, sed Personæ est significativum. Et Richard. Victor. lib. 5. de Trinit. cap. 7. Quod non potest, inquit, esse prius temporaliter, potest esse prius causaliter. Idem habent D. Hilar. lib. 12. de Trinit. D. Athan. in Epist. ad Serapion. D. Chrysost. tom. 5. orat. 2. de Trinit. D. Epiphani. hares. 62. & alii apud P. Ruiz cit. sect. 4.

Probatur secundò ratione, quia ordo, ut communiter tenent Scholastici cum D. Thom. 2. 2. q. 26. art. 1. dicit in suo conceptu aliquam rationem prioris, & posterioris; sed inter Personas Divinas datur ordo realis originis, ut diximus; ergo inter illas datur prioritas, & posterioritas realis originis.

Probatur tertio, quia juxta naturalem originem Pater in Divinis est prima Persona, Filius secunda, & Spiritus sanctus tertia; sed ubi datur primum, secundum, & tertium, eadem ratione datur prius, & posterius; siquidem prius, & posterius essentialiter includitur in primo, & secundo, cum primum sit prius respectu secundi, & secundum sit prius respectu tertii, ergo &c.

Probatur quarto, quia prioritas, & posterioritas originis consistit in eo, quod duo non sint simul origine, id est, quod unum sit principium alterius, non verò è contra; sed Personæ Divinæ non ita sunt simul origine; siquidem Pater est principium Filii, non tamen è contra; Pater, & Filius sunt principium Spiritus sancti, non tamen è contra; neque enim Filius est produciens Patrem, aut se ipsum simul cum Patre; neque Spiritus sanctus est produciens Patrem, & Filium, aut se ipsum spirans cum utroque; ergo non habent simultatem, sed prioritatem, & posterioritatem originis.

Obijcies 1. Sancti Patres videntur omnem prioritatem absque exceptione rejicere; sic Concil. Nicæn. lib. 2. §. siquidem. Nihil, ait, in ea prius aliquando, sed semper, & eodem modo existentem individuum, & consubstantialem Trinitatem. Et D. Athan. in Symbol. Sancti Trinitate, ait, nihil prius, nec posterius. Et in quest. de Natur. Dei q. 15. In Sancta Trinitate,

Trinitate, nemo primus, & nemo postremus, sed simul Pater, simul Filius, simul Spiritus Sanctus. Et D. Nazian. orat. 37. de Spirit. Sanct. Nec enim, inquit, hoc magis, illud minus est Deus, nec hoc prius, illud posterius. Et D. Aug. lib. 3. contra Maximinum cap. 14. Non genitorem ab eo, inquit, quem genuit, sed genitum à genitore mitti oportebat. Verum hoc non est inaequalitas substantiae, sed ordo naturae; non quod alter prior esset altero, sed quod alter esset ex altero. Et D. Epiphani. heres. 69. Simul Pater, ait, simul Filius; coexistit Filius ingenuit cum Deo, semper genitus ingenuit genitus, neque cogitatione, neque momento praeminetur Deus Filio. Et D. Ildor. lib. 2. Epist. 149. Trinitas, inquit, nec prius, nec post, nec primum, & secundum, & tertium admittit; ergo &c.

12. Respondeo Concil. & Sanctos Patres solum negasse in Divinis prioritatem, & posterioritatem dignitatis, & durationis, ut ex quorundam contextu satis constat; argumentabantur enim contra Arium, qui utramque prioritatem, & posterioritatem fingebat in Personis Divinis, ut supra diximus. Aut dic solum excludere prioritatem, & posterioritatem simpliciter, & absolute, quae recurrit cum prioritate, & posterioritate durationis, quam Deo volebant concedere; non autem cum addito illam limitante ad solum prioritatem, & posterioritatem originis.

13. Obijcies 2. Talis prioritas, & posterioritas, aut efferatione Essentiae; aut ratione proprietatis, sive relationis: Non primum; siquidem Essentia, sive Natura est una, & eadem in omnibus Personis; idem autem non potest esse prius, & posterius se ipso: Non secundum, quia proprietates, sive relationes sunt simul naturae, & cognitione; inter illa autem, quae sunt simul non datur unum prius, & aliud posterius; ergo &c. Respondeo negando majorem quoad secundam partem; talis enim prioritas in Divinis datur ratione proprietatis, sive Personae; quatenus scilicet constitutum ex Natura, & Paternitate est principium Filii. Neque obstat, quod relationes sint simul naturae, & cognitione: tum quia hujusmodi similitudo non tollit ordinem originis; ergo neque prioritatem; tum, quia Relationes Divinae non sunt pure praedicamentales, ut supra diximus, sed perfectissimae substantiae, & productiones: Unde licet in creatis una relatio non praecedat aliam correlationem, sed positus fundamentis simul resultent; in Divinis tamen, cum praeter respectum ad terminum, in re ipsa constituent principium producentis, & terminum productum, & solum quoad secundam expressum relationis non constituent, sub illa ratione potest una esse prior, & alia posterior.

14. Obijcies 3. Ordo originis est ordo realis, & naturae; sed hic ordo in Deo non admittit prioritatem; siquidem prioritas realis naturae involvit dependentiam in eo, quod est posterius; in Divinis autem nulla admittitur dependentia, cum haec dicat imperfectionem, quatenus dicit defectibilitatem in re dependente; ergo &c.

15. Respondeo distinguendo majorem: ordo originis est ordo realis, & naturae; prout natura significat, tum necessitatem essendi, tum ordinem praecedendi ipsius rei naturae convenientem; concedo majorem; prout dicit independentiam unius potentis existere sine alio, & istius dependentiam; nego majorem: haec autem dependentia, sive posterioritas, & independentia, sive prioritas non datur in Divinis; cum enim prioritas naturae, qualis esset haec, prout à Philosopho explicatur, communiter significet

hanc independentiam unius potentis existere sine alio, & istius dependentiam; ut patet in causa, quae prout sic in actu primo dicitur prior naturae suo effectui; non ita una Persona est prior alia, sicque non datur inter illas haec prioritas naturae; est tamen una prior alia secundum naturam originis, quatenus una secundum naturam suae originis exigit praecedere alteri; in quo sensu aliqui vocant hunc ordinem Personarum prioritatem naturae; cum tamen in rigore talis non sit juxta explanationem Philosophi.

16. Scio alios aliter explicare prioritatem naturae, nempe praescindendo à ratione dependentiae, ita ut prioritas naturae sit illa, quae unum non inferitur ex alio subsistendi consequentia, maxime verò è contra, ut, est animal; ergo est homo: est homo; ergo est animal: in quibus ex animali non recte inferitur homo, maxime autem ex homine inferitur animal, sicque dicunt, animal esse prius naturae, quam hominem, & hanc prioritatem naturae dari in Divinis, quatenus ex hac Est Deus: non sequitur; ergo est Pater: maxime verò è contra. Quamvis tamen non repugnet in Divinis hujusmodi prioritas subsistendi consequentia, prout infra dicemus, non ideo datur inter Personas Divinas; siquidem inter illas datur mutua connexio, & determinata habitudo, ita ut recte inferatur: Datur Pater; ergo datur Filius; & è contra: similiter: Datur Spirator; ergo datur Spiritus Sanctus; & è contra.

17. Obijcies 4. Prius, & posterius important excessum, & defectum; quod enim est prius excedit, quod est posterius, in eo, quod sit prius; & quod est posterius deficit ab eo, quod est prius, in eo, quod sit posterius; sed in Divinis non est admitendus ullus excessus, aut defectus; ergo neque prius, & posterius. Respondeo quidquid sit de aliis prioritatibus, aut posterioritatibus; prioritas quidem, & posterioritas originis nullum dicit excessum, aut defectum, ut patet ex dictis.

18. Difficultas 2. Qualiter, & inter quae praedicata detur in Divinis haec prioritas originis? Conclusio 1. Pater in Divinis non est prior origine formaliter ex eo, quod à nullo sit, sed ex eo, quod sit alterius productivus. Probatur, quia prioritas originis est positiva habitudo producentis ad productum; sicut posterioritas est positiva habitudo producti ad producentem; sed producentis non dicit illam habitudinem formaliter ex eo, quod non sit ab alio productus; siquidem posset non esse ab alio productus, & tamen non habere ullam prioritatem originis, quia posset non esse alterius productivus, ratione cujus esset prior origine; prioritati enim originis respondet posterioritas in eodem ordine; haec autem tunc non daretur, quia non daretur passiva productio, in qua illa consistit; ergo &c.

19. Conclusio 2. Haec prioritas originis non solum datur inter Personas Divinas producentes, & productas, sed etiam inter earum potentias productivitas, & producibilitatis, nec non inter ipsas formales origines activas, & passivas. Probatur, quia in omnibus his reperitur realis habitudo unius ad aliud spectans ad eundem ordinem originis; siquidem omnes istae rationes suppositi producentis, virtutis productivae, & formalis productionis complement unum, & eundem ordinem originis; consequenterque eundem ordinem prioritatis, & posterioritatis; ergo &c. Confirmatur, quia omnia haec sibi proportionate correspondent in ratione prioritatis, & posterioritatis; sicut enim
Eccc 3
suppo-

suppositum productivum præcedit terminum productibilem, ut principium quod; ita virtus productiva præcedit vim productibilem, ut ratio quæ, sive per quam; & origo activa passivam, ut ratio quæ; ergo &c.

20. Conclusio 3. Hæc prioritas, & posterioritas non datur inter relationes divinas, quatenus ad instar relationum prædicamentaliū concipiuntur resultare ex originibus. Ita *P. Amicus d. 22. n. 25.* Probatur, quia prout sic nullum exercent munus, nisi puri respectus; sed non est major ratio, cur una potius præcedat aliam in hoc munere, quàm e contra; siquidem idem munus, quod exercet una, exercet alia; ergo &c.

21. Conclusio 4. Non datur prioritas, & posterioritas realis originis, nisi inter realiter distincta. Probatur primò, quia prioritas, & posterioritas fundatur in distinctione; ergo ut prioritas, & posterioritas sint reales, debent supponere distinctionem realem extremorum; idem enim non potest esse prius, & posterius origine realiter. Secundò, quia ordo realis originis solum datur inter illa, quorum unum producit, & aliud producit; sed hæc necessariò distinguuntur realiter; siquidem idem non potest se ipsum realiter producere; alioqui jam esset, antequam produceretur; ergo &c.

22. Hinc colliges primò, neque Patrem esse priorem origine respectu generationis activæ; neque Patrem, & Filium, prout sunt unus spirator, respectu spirationis activæ; quia neque Pater generationem activam, neque spirator spirationem activam producit. Secundò, nullum absolutum, quatenus constituit Naturam Patris formaliter, & per se, esse origine prius Filio; siquidem nullum absolutum, prout constituit Naturam Patris distinguitur à Filio, aut est illius productivum; quod autem non distinguitur ab alio, neque est illius productivum, non potest formaliter, & per se esse prius illo prioritate originis.

23. Conclusio 5. Pater per generationem activam prius origine respicit Filium, quàm per spirationem activam Spiritum sanctum. Probatur, quia tam generatio, quàm spiratio passiva originantur à Patre; sed hæc essentialiter supponit illam; quando autem plures actiones sunt ab eodem principio, cum essentiali præsuppositione unius ad aliam, una est prior aliâ, & ipsum principium dicitur unam prius originare, quàm aliam; ergo cum generatio, & spiratio passiva originentur ab eadem Persona Patris cum prædicta præsuppositione, prior est generatio, quàm spiratio passiva; consequenterque Pater per illam activè prius origine respicit Filium, quàm per hanc respicit activè Spiritum sanctum; ac proinde prius dicitur generare, quàm spirare.

24. Difficultas 3. Utrum præter realem prioritatem, & posterioritatem, admittenda sit in Divinis alia prioritas, & posterioritas virtualis, & quoad nos? Dico 1. In Divinis admitti potest virtualis prioritas, & posterioritas exigentia naturalis, & objectiva conceptibilitatis. Ita *P. Amicus cit. num. 29.* Probatur, quia licet in Deo sit una simplicissima perfectio, nullam admittens distinctionem realem, præterquam inter relationes oppositas; ob ejus tamen eminentiam, qua omnes perfectiones possibiles continet, naturaliter exigit, ut quoniam ab intellectu creato non potest unico actu rectè, & ordinatè concipi, prius debeat concipi secundum unam perfectionem, quàm secundum aliam. siquidem eodem ordine concipiendæ sunt quæ in

Deo sunt virtualiter distinctæ, quò in creatis concipiuntur, sive existunt quæ realiter distinguuntur; sed in creatis existunt aliquæ realiter distinctæ, quarum una præcedit aliam prioritate, sive ordine reali, quæ tamen in Deo virtualiter distinguuntur; ergo debet una prius concipi, quàm alia ordine, sive prioritate objectivæ conceptibilitatis, cum in Divinis concipiantur perfectiones per analogiam ad creatas.

Confirmatur, quia realis identificatio plurium perfectionum in eadem formalitate, non tollit uniuscujusque perfectionem intrinsecam; sic enim Relationes Divinæ identificantur cum Essentia, quin tamen amittant, imò conservant intrinsecam oppositionem, quam mutuò habent; ergo etiam non tollet naturalem exigentiam, quam eadem perfectiones habent, ut una concipiatur prior aliâ; siquidem cum conceptibilitas sit passio consequens entitatem, sicut tales perfectiones identificatæ retinent propriam entitatem, ita & propriam conceptibilitatem.

Hinc colliges, absoluta prius concipienda esse, quàm relativa; inter absoluta prius communiora, quàm minus communia, ut ratio substantiæ prius, quàm intellectivitas; hæc prior appetivitas; actus intellectus prius, quàm actus voluntatis; actus voluntatis, quàm actus externæ executionis; sicque de aliis perfectionibus, tam absolutis, quàm relativis, aut ad invicem comparatis, aut scilicet consideratis proportionaliter ad ea, quæ actu distinguuntur.

Dico 2. In Divinis admitti potest prioritas secundum subsistendi consequentiam, non realis, sed rationis. Probatur prima pars: quia hæc prioritas tunc datur, quando ab uno non convertitur subsistendi consequentiâ ad alterum, ut diximus num. 16. sed multæ sunt perfectiones in Deo, in quibus non convertitur subsistendi consequentiâ ad alias, ut patet in absolutis, à quibus non convertitur subsistendi consequentiâ ad relativas; neque enim sequitur: *Hæc Persona est Deus; ergo est Pater*: maxime verò e contra; ergo &c.

Probatur secunda pars, quia hæc prioritas eatenus est realis, quatenus prius separabile est ex natura rei à suo posteriore; sic enim animal est separabile, & potest ex natura rei existere sine homine, licet non sic possit homo existere sine animali; sed in Deo nullum prius prioritate subsistendi consequentiâ potest esse sine posteriore secundum eandem subsistendi consequentiam; siquidem absoluta, quæ prout sic sunt priora relativis, non possunt sine illis esse, neque existere; ergo talis prioritas in Deo est rationis, & non realis. Confirmatur, quia hæc prioritas coincidit cum ea, quæ datur inter universalis, & particularis, sive inter superiora, & inferiora; sed hæc in Deo non est realis, sed rationis; siquidem in Deo commune, & proprium, sive superius, & inferius non distinguuntur realiter, sed sola ratione; ergo &c.

Difficultas 4. Utrum ea, quæ in Divinis sunt priora in uno genere, possint esse in alio posteriora? Affirmativè. Ita *P. Amicus d. 22. scilicet 2. num. 39.* Probatur, quia in creatis, quæ in uno genere sunt priora, in alio sunt posteriora, ut patet in Materia, & Forma; in natura, & proprietatibus, in quibus Materia, & natura sunt priores formæ, & proprietatibus in genere causæ materialis, illis autem posteriores in genere causæ formalis: sic etiam agens est prius subiecto in genere efficientis eductivi, & posterius in genere subiecti

Subjecti substantiantis; & Finis est prior in genere causæ moventis, & posterior agente in ratione exequentis; ergo etiam in Divinis non repugnabit, quod Pater sit prior Filio in ratione principii originantis, & simul cum illo in ratione correlativi mutuo respicientis, imò & posterior in ratione objecti, & termini specificantis, ac terminantis, cum ad invicem prout sic supponantur.

30. Dices: Quod est prius origine est prius simpliciter; siquidem debet suo posteriori communicare esse simpliciter; quod autem communicat alteri esse simpliciter, debet esse ab illo omnino independens, & prius omni genere prioritatis, sicque simpliciter; sed quod ita est prius, nullo modo potest esse posterius illo, respectu cuius est prius; siquidem quod est prius simpliciter, supponitur sub omni ratione independens ab alio; ergo &c.

31. Respondeo distinguendo maiorem: est prius simpliciter; ita ut per prius simpliciter intelligatur prius in omni genere; nego maiorem: hoc enim non probat, sed supponit argumentum; cum tamen stare possit prioritas originis cum posterioritate in alio genere, ut probavimus: ita ut per prius simpliciter intelligatur potior, & principalior ratio prioritatis, quæ Deo convenire potest; concedo maiorem: nam inter omnes prioritates, quæ Deo possunt convenire, potissima est originis, sicque comparatione aliarum in Deo, est prioritas simpliciter; non tamen comparatione prioritatis durationis, quæ in Deo non datur, ut istam dicemus, & tamen principem habet locum, ut ait Philosophus.

32. Hinc colliges, hanc mutuam prioritatem in diverso genere admittendam esse, non solum inter Personas Divinas, secundum diversas rationes consideratas, sed etiam inter Attributa; inter actus Intellectus, & Voluntatis; inter ipsa objecta tales actus terminantia; & inter perfectiones absolutas, & respectivas ad invicem comparatas. Unde fit, quod non semper hæc mutua prioritas sit realis, sed aliquando realis ex una parte, virtualis, & rationis ex alia: aliquando virtualis, & rationis ex utraque juxta naturalem exigentiam extremorum, quæ mutuo comparantur ut priora, & posteriora secundum diversas formalitates.

SECTIO II.

De Prioritate Durationis.

33. **D**IFFICULTAS est: Utrum inter Personas divinas detur aliqua prioritas durationis, quæ dici solet prioritas in quo? Dico 1. Inter Personas Divinas non datur aliqua prioritas durationis realis, quæ dici solet prioritas in quo. Est de fide. Probatur primò ex Symbol. D. Athan. ibi: *In hac Trinitate nihil prius, aut posterius, sed totæ tres Personæ coeternæ sibi sunt, &c.* Idem definiunt passim Concilia, docent Sancti Patres, explicant Scholastici, universa Dei profiteretur Ecclesia contra Arianos, qui Verbum non esse coeternum Patri, sed posterius tempore factum impiè asserabant, prout supra vidimus.

34. Probatur secundò, quia si Pater v.g. esset prior Filio duratione reali, aut esset, quia generatio esset libera: aut quia esset successiva, sicque non posset esse tota simul: aut quia Pater in aliqua prioritate reali esset impeditus ad producendum: Non primum, nam processiones divinæ sunt necessariae; siquidem omne ens divinum in se est

simpliciter necessarium: Non secundum, nam præterquam quod generatio sit instantanea, omnis successio à Deo exultat, ut ab ente omnino immutabili: Non tertium, quia sive impedimentum procederet ab externo agente (cum tamen nullum fuerit in æternitate,) sive ab interno, semper id denotat imperfectionem in Deo agente perfectissimo; ergo &c.

35. Obijciens 1. pro hæreticis: Personæ Divinæ productæ habent principium; sed principium non est simul cum suo principio; alioqui esset antequam principaretur; ergo inter Personas productas, & productas datur prioritas, & posterioritas durationis realis. Respondeo Personas productas habere principium originis, non autem durationis, sicque inter illas dari prioritatem, & posterioritatem originis realis, ut diximus, non autem durationis, quam negamus.

36. Obijciens 2. Illud, quod generatur, videtur extrahi de non esse ad esse, ac proinde incipere esse; sed quod incipit esse, non est æternum; ergo Filius, qui generatur, non est ab æterno cum Patre; consequenterque inter illos datur prioritas, & posterioritas durationis realis. Respondeo distinguendo maiorem: illud, quod generatur mutabiliter, & contingenter, ut fit in creatis, extrahitur de non esse ad esse; concedo maiorem: quod immutabiliter, & necessario generatur, ut fit in divinis; nego maiorem: sicut enim de essentia Patris est, quod actu generet, ita de essentia Filii est, quod actu generetur, sicque nulla est prioritas, in qua concipiatur non esse, licet in omni prioritate à Patre sit.

37. Obijciens 3. Corruptio contraria est generationi; sed corruptio inducit desitionem; desitio autem supponit inceptionem; quod verò incipit est posterius tempore, quàm illud, à quo incipit; ergo &c. Respondeo distinguendo maiorem: corruptio est contraria generationi, quæ est mutatio; concedo maiorem: generationi immutabili; nego maiorem: huic enim corruptio non est contraria sed impossibilis.

38. Obijciens 4. Quando Filius genitus est, aut erat, aut non erat: Si erat, cur ergo genitus est? qui enim est, generatione non indiget: si non erat, ergo aliquando non fuit; consequenterque inter Patrem, & Filium datur prioritas, & posterioritas durationis realis. Respondeo explicando sophisticam Arianorum interrogationem: Filius quidem non erat, quando genitus est, absque generationis influxu, ut objiciebant Ariani, Filium extitisse in aliqua duratione præcedente æternitatem; nulla enim duratio potuit æternitatem præcedere: Filius tamen erat, quatenus in quolibet tempore, & illius instanti, sicut in indivisibili æternitatis instanti simul Filius generabatur, & genitus erat.

39. Obijciens 5. Aut Filius semper gignitur, & sic nunquam terminum, & perfectionem assequetur: aut semper est genitus, & sic quo pacto ad terminum sine via pervenit? aut aliquando gignebatur, & aliquando fuit genitus, & sic non semper eodem modo se habuit, sed mutatus est; ac proinde inter illum, & Patrem fuit prioritas, & posterioritas durationis realis; ergo &c.

40. Huic argumento respondet Calvinus lib. 1. Instit. cap. 13. §. ult. Filium semel genitum fuisse, nec jam generari; dicentem, stultè fingi in Deo continuum actum generandi. Hoc tamen Calvini delirium repugnat D. Aug. Epist. 174. ad Pascen-
tium, qui sic ait: *Semper gignit Pater, & semper nascitur Filius.* Et rationem asserti optimam, quia